



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XXIII. (a) Gregorius IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

nachalem, regulam quoque secundum formam ordinis profiteantur & servent, monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellas.

## NOTÆ.

- i. (a) **V**enetens. ] Ita legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. ult. ex qua ita restituo textum hunc. Guillelmo Præfule Venetensi, qui fuit ab anno 1223. usque ad annum 1236. missa est præfens epistola. Venetensis civitas est in Gallia, cujus meminerunt Strabo lib. 4. Plinius

lib. 4. cap. 18. Jobelinus lib. 3. comment. de rebus Pij I. Cæsar lib. 3. cap. 2. Habet Ecclesiam Cathedralam D. Petro dicatam; de qua agunt Fratres Sarmathani tom. 3. Gall. Christ. fol. 1156. Ejus Episcopo Guillelmo missa est præfens epistola.

(b) *Per annum.* ] Ad probationem videlicet assignatum, de quo egi supra in cap. super 9.

## CAPUT XXIII.

## (a) Gregorius IX.

**S**Tatuimus novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam ad priorem statum redire posse liberè intra annum, nisi evidenter appareat, quod tales absolutè voluerint vitam mutare, & in religione perpetuò Domino deservire; cum quilibet renunciare valeat ei, quod pro se noscitur introductum. Nihilominus statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod cum in quibusdam locis religiosiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus à professorum habitu discernatur.

## NOTÆ.

- i. (a) **G**regorius. ] Qui præsentem constitutionem edidit motu proprio, ad decidendam quæstionem toties agitatam, an videlicet pen-

dente probationis anno liceat desistere religionem, & habitum susceptum exuere? Quam ex novo, & veteri jure examinavi supra in cap. 9. hoc tit. ex cujus commentario præfens petendum est.

## CAPUT XXIV.

## Idem (a)

**N**E religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statuimus, ut præfidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii (b) generalis, seu Patres, Abbates, seu Priores (c) fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo requirant sollicitè annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præviâ per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salvâ Ordinis disciplinâ. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosiorum domibus ejusdem Ordinis, ad agendam ibi poenitentiam talibus vitæ necessaria ministrantur. Si verò hujusmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiis Prælati excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

## NOTÆ.

- i. (a) **I**dem. ] Gregorius videlicet IX. qui novam hanc constitutionem edidit pro religiosiorum fugitivis, & ejectis revocandis ad proprium monasterium: & licet cum aliis Azor pag. 1. instr. lib. 12. cap. 17. 9. 2. Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 11. existimaverit, constitutionem hanc contrariâ consuetudine esse abrogatam; tamen confirmata & instaurata ea fuit lege novâ Urbani VIII. constitutione editâ die

21. Septembris anno 1624. ubi dum de apostatis religiosiorum, & ejectis decretum edidit, ita cavuit: *Præterea censuit esse innovandam, & sua beatitudinis auctoritate innovat constitutionem filiciter record. Gregorii IX. reletam in cap. final. extra de regul. ac propterea declarat, eam constitutionem in his quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui jussu, diffinitiveque, ac juris ordine servato expulsi fuerunt; dummodo tamen in expulsi hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis*